

/ Admodum R/de Pater, Quamvis ut R.V. scribit, non noverim ex nomine vel ex facie personam vestram, novi tamen ex fama et praedicatione R/mi Episcopi Gratianopolitani; proinde epistola tua mihi gratissima fuit, et feci quod potui ut desiderio vestro et R/mi atque
5 optimi Antistitis satisfacerem; et multo plura fecissem, si magis tempestive fuisset admonitus. Gratulor R.V. quod strenue laboret in vinea Domini, et peto à Domino ut diu patiatur Reverentiam tuam in tam bono opere occupari. Ego jam senui et ignoro diem mortis meae, proinde rogo R/ am tuam ut mihi à Domino nostro impetret praeparationem bonam et finem longae peregrinationis, non qualem indignitas mea meretur, sed qualis decet Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis. His valeat R.Tua, pater optime. Datum Romae
10 die 3/a Martii 1614.